

Letter 215: 16 September 1524, Augsburg, Urbanus Rhegius to Capito

The autograph manuscript of this letter is in the Archive municipale of Strasbourg, AST 40, #59, ff. 436-437.

Urbanus Regius Vuolfgango Fabritio Capitoni Christum salutare nostrum.

Quas ad me dedisti litteras ultima Augusti, fratre selectissime, ipse 16 Septembris accepi, quibus animum tuum integerrimum et non solum veteris amicitiae notas sed incrementum admirabile intellexi, nec mirum, olim enim magister erroris Aristoteles et secularium litterarum amor ac similitudo nos coniunxerunt. Iam vinculum longe fortius; nempe charitas christiana, quae est vinculum perfectionis, animos nostros sic convertit ut non secus mihi tua curae sint ac mea; nuper enim cum ex fratribus quidam vir bonus nunciasset nuptias Capitonis supra veri fidem delectatus sum, ut quod sciam talibus exemplis non parum multos ad ea animari quae pietatem christianam decent. A Domino est uxor bona, qualem tibi obtigisse nihil dubito. In eam conditionem migrassem ante annum nisi persecutionum procellae obstitissent, quibus etiamnum iactor.

Hodie transactus est annus cum ad cathedram ecclesiae Hallanae revocatus in insidias episcopi et principis Ferdinandi incideram. Favet senatus eius urbis, favet populus. At nihil non moliantur Tridentinus ac Brisiensis, quo me perdant inter tot hostium insidias quod facerem, elabebat ut quondam [Gr.]ho skeuos ekloges. Iam tertio Augustam veni, ubi honorifice exceptus, rogor a magna urbis parte quo Pauli Romanos elucidem, declamo igitur in septimana ter frequenti templo apud Carmelitas, ut extraordinarios labores taceam. Speiserus apud divum Mauritium corpore est aegro, huius vicem sepe gero Fuckerorum precibus permotus.

Quae de tumultu urbis nostrae apud Argentinenses vulgata sunt, non usque quaeque probo. Senatus enim veris verbi ministris favet. Minorita erat, quem ferebant hominem praecipitis audaciae effudisse quaedam satis intempestiviter, hunc cum amandare vellent, obstiterunt ex vulgo nonnulli, numerum nescio, mille fuisse fama habet, 15 Septembris obtruncati sunt duo qui excitandae seditionis crimine notabantur, praeterea nihil video turbulentiae. Audivimus Argentinae motus ingentes fuisse, qui si verbi ministros retinuerunt quamvis pace meliores sunt. Satanam apud vos vigilare iam pridem ex neniis Hortulani accepimus. Praepedire cursum verbi cum non queat princeps tenebrarum, hoc tum sedulo molitur, ut ex falsis fratribus odia excitet; ante aliquot septimanas publicis declamationibus errorem Hortulani de eucharistia et baptismo scripturarum testimoniis confutavi, et ecclesiam a lectione tam stultorum libellorum magna contentione absterrui. Emerserunt apud nos nescio quae impiae opiniones de coena dominica pseudapostolorum machinationibus, quos et Augustae et Ulmae suppressere pro viribus conor. Ulmae litteris ago quae possum, Augustae viva voce. Erant qui non corpus et sanguinem, sed inane signum adesse palam docebant e quorum numero primpilum adoriebar, atque hominem in presentia multorum scripturis ita conpescui ut nihil auditoribus nisi ludos preberet. Homo est apud suos magistri nominis, qui cum rationem nobis de fide sua reddere debebat, stupendam inscitiam prodidit. Il caput primae ad Corinth. non vel tenuiter attigerat, aliquot dumtaxat libellis ex ideota repente nobis theologus prodierat homo audax et iactor vanissimus.

In aede summa apud Virginem nostram declamat Matthias Cressus, successor meus. Is etiamnum ex missa sacrificium facit, duliam et hyperduliam, liberi arbitrii vesicam, merita congrua, Purgatorii flammam, confessionis auricularis abusus et carnificinam, rasuras, vesturas et quicquid est quod rex facieri, approbat furiosis clamoribus tuetur. Auditorium habet infrequenter,

divites paucos, nonnas a Beguttas aliquot esse deliras vetulas ac sacrificulos. Eccium habet patronum. Is nuper litteris ad Augustam missis papistico zelo praecatus est ut Urbanus redeat ad gremium ecclesiae. Io. Faber aulicus, olim pene pater, sic odit et lacerat Urbanum ut non possit vehementius. Uno verbo is Hallanae ecclesiae me possit restituere, sed Urbanus ille ingratus nimium favet Luthero. Non vult calamum dstringere in viros Dei et grandes rapiatos scribere contra heresiarchum in aquilone unde panditur omne malum. Id est, manifestatur toti mundo amentia sacerdotium, revelatur homo pili et filius perditionis, rusticus ille Urbanus non novit adulare, sed tantum mordaci radere verbo auriculos teneros. Habes quod frigidam inter me et Fabrum suffuderit anno superiori; trecentis aulicis silentium meum vendere potui, verum animus ille frangi non poterat Christi praesidio tam bene munitus. Et te quoque ex hac tentatione Christus eripuit qui in Episcopi Cardinalis aula, scilicet totus argenteus et aureus, esse poteras, at stercora arbitratus es haec mundi illectabula, ut Christum curiefaceres.

Ad fratres tuos et meos venio: Mattheum Zellium, meum olim in Aristotele praeceptorem, ethnicum, iam christianissimum ex me saluta. Bucerum magni spiritus hominem, alioque ut audio, Zacheum, quod ad corpusculum attinet, multa item salute ex me adobruere, parvus est statura sed Philisteum illuc Narrrrrum et Dreckerium quendam, hoc nomine dignissimum, capillis et funda scripturarum egregie prostravit. Hedionem quoque cupio salvum. Symphorianus ille mihi notus est ante annos 14, cum Argentinae in Zasii negotio essem, conveni hominem et ab ipso humanissime sum exceptus. Fac sciat me eum esse qui eram tunc, hoc est, Symphoriani amantissimi. Erasmus Fabricius Steinensis apud nos est innocens, Helvetii sciunt, sopito furore ipsum [?] revertet. Ioannes Frosch Carmelita hospes meus te salutet. D[ominus] Ch. Adelmanus fautor evangelii te tuaque amat et salutet. Vale. Ex Augusta. 16 Septembris anno MDXXIII.

65